PRIMA
SYNODVS THELESINA
PERACTA

Ab Illuſtriſſimo, ac Reuerendiſſimo Domino V. I. D.

D. IO. BAPTISTA DE BELLIS
EPISCOPO THELESINO

In Eccleſia Cathedrali Sanctiſſimæ TRINITATIS, ſiuè S. Leonardi Oppidi Cerreti,

Vbi ex decreto Sac. Congreg. ſeruitium Cathedralis Theleſinæ translatum reperitur.

anno Dni 1687.



MACERATÆ M. DC. LXXXVII.

Superiorum permiſſu.

Acta ante Synodum.

INtendens Illuſtriſſimus, ac Reuerendiſſimus Dominus D. Iòannes Baptiſta de Bellis V. I. D. Dei, & Apoſtolicæ Sedis gratia Epiſcopus Theleſinus primam Diœceſanam Synodum celebrare ſecunda Dominica poſt Paſcha, quæ hoc præſenti anno 1687. incidit die 13. menſis Aprilis, per menſem anteà promulgari fecit ædictum de Synodo præfata die celebranda, in quo ædicto mandauit, vt Parrochi, & omnes, qui tàm de iure, quàm de conſuetudine tenentur, decenti habitu accederent; monendo omnes, vt miſſa de Spiritu Sancto, vt ſaltem oratio in omnibus Diœceſis Parochialibus Eccleſijs diceretur, & præces Deo funderentur ad impetrandum opportunum auxilium pro bono Synodi ſucceſſu; & interim, præſertim Curati, quæ opportuniora pro animarum ſalute, moribuſq; emendandis, & corrigendis eis viderentur, referrent voce, vel ſaltem in ſcriptis. Habitæ intereà fuere nonnullæ ſeſſiones cum viris ad hoc idoneis.

Acta in ipſa Synodo.

TAndem præfata die Dominica ſecunda poſt Paſcha idem Illuſtriſſimus Dominus congregato Clero ſociatus de more è ſuo Palatio Epiſcopali acceſſit ad Eccleſiam Cathedralem Sanctiſſimæ Trinitatis Terræ Cerreti, vbi reperitur translatum ſeruitium Cathedralis Eccleſiæ The-

leſinæ, & ibi cantauit miſſam ſolemnem de Spiritu Sancto, & peractis omnibus alijs ad præſcriptum Cæremonialis, & Pontificalis Romani, ac recitata eleganti oratione per Reu. D. Marcum Pigna S. Th. P., ſedenti dicto Illuſtriſſimo Domino Epiſcopo Pontificaliter induto generalis Vicarius obtulit Sacroſ. Con. Trid. librum, & quædam alia folia, quæ idem Illuſtriſſimus accepit, accerſito V. I. D. D. Ioanni Baptiſtæ Paduano Archidiacono Theleſino tradidit dictum librum Sac. Con. Trid., & D. Alexio de Nigris Canonico eiuſdem Cathedralis folia prædicta, & ab eiſdem reuerenter acceptis, idem Archidiaconus receſſit ad locum ſuum, & dictus Canonicus de Nigris recta via ad ſuggeſtum perrexit, & ea, quæ ſequuntur decreta, alta voce pronunciauit.

Decreta de incępta Synodo.

In Nomine Sanctiſſimæ, & Indiuiduæ Trinitatis, Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.

NOs Ioannes Baptiſta de Bellis V. I. D. Dei, & Apoſtolicæ Sedis gratia Epiſcopus Theleſinus ad laudem Dei Omnipotentis, Beatiſſimæ Virginis Mariæ, omniumque Sanctorum hanc primam Diœceſanam Synodum ad rectam diſciplinam ſuſtinendam, maloſq; mores, & deprauatos abuſus extirpandos ad præſcriptum Sac. Con. Trid. incipimus, & inceptam eſſe volumus. Idem omnipotens Deus à templo ſancto ſuo nos protegat, vt quæ agenda ſunt videamus, & viſa opere exequa-

mur

mur: Eſtote ergo fratres cariſſimi attenti, & quæ vobis proponenda habui, auribus intelllgite, & cordibus audite, ac toto affectu exequenda, atq; ſeruanda curate.

Decretum de non inferendo Præiudicio.

DEcernimus, vt hac Synodo durante, ſi cui contingerit ſuo loco non ſedere, ſtare, incedere, vocari, aut aliter agere, nemini ex hoc ius nouum acquiri, nec alicui de eius Iure, aut poſſeſſione detrahi; ſed in eo ſtatu permanere, prout prius erant.

Decretum deferendis quærelis; & abſentia excuſanda.

SI aliquis ſentiens ſe in aliquo grauatum de eo vult conqueri, aut aliquam legitimam accuſationem deferre intendit, adeat noſtrum generalem Vicarium, reſeruata nobis facultate cauſas huiuſmodi, etiam durante hac Synodo ad Nos auocandi. Si quis abſentiam alicuius excuſare voluerit, adeat eundem.

Decretum de non diſcedendo.

VObis omnibus, & ſingulis, qui huic Synodo de Iure, aut conſuetudine intereſſe debetis, excommunicationis pœna propoſita, inhibemus, ac mandamus ne vos, ſiue aliquis veſtrum diſcede-

re

re audeat abſque noſtra, vel generalis noſtri Vicarij facultate, ac venia, antequam hæc Synodus de more perfecta, & dimiſſa fuerit; ſed omnes, & ſingulos ſub eadem excommunicationis pœna huic Synodo, eiuſq; ſeſſionibus, & actionibus omnibus, quæ indicuntur, & indicentur, adeſſe iubemus.

Decretum de Officialibus Synodi.

VT autem hæc noſtra Synodus legitimè coacta rectè gubernetur, & agendo omnia, validè fiant, ſtatuimus in ea Officiales vz.

Promothorem D. Dctium Petronſi V.I.D.)
) noſtræ Cathedralis Canonicos.
Secretarium D. Alexium de Nigris.)

Magiſtros Cæremoniarum, quibus mandamus, vt omnes in eorum munere obediant.

D. Horatium Venditto, & D. Pompeium Iordano ciuſdem Cathedralis Canonicos.

Præſentis Synodi Notarium D. Vincentium Ciaburro Collegiatæ Eccleſiæ S. Martini de Cerreto Canonicum, noſtræ Curiæ Epiſcopalis Actuarium, & Apoſtolica autoritate Notarium.

Lectis de ordine Illuſtriſſimi, ac Reuerendiſſimi Epiſcopi ſupradictis decretis per D. Alexium de Nigris.V. I. D. D. Ioannes Baptiſta Paduanus Archidiaconus Cathedralis Eccleſiæ Theleſinæ aſcenſo pergamo legit decretum Sac. Con. Trid. de Reſidentia, deinde alterum de profeſſione fidei facienda, & inſtatum fuit per ſupradictum Synodi Promo-

mothorem; vt omnes de beneficio Eccleſiaſtico prouiſi ſeruata forma decreti præfati fidei profeſſionem emitterent, ſi nondum emiſerunt, vnde dictus Illuſtriſſimus Dominus annuit.

Tunc in medium procedentes ijdem prouiſi, præcedente tamen voce dicto Synodi Notario, verba proferentes fidei profeſſionem emiſerunt iuxta formam præſcriptam à B. Pio V.

Poſt hæc Promotor inſtetit pro electione Examinatorum, & Iudicum Synodalium, & Illuſtriſſimo Domino annuente generalis Vicarius obtulit decreta de Examinatoribus, Iudicibus, & teſtibus Synodalibus, & interim mandatum fuit, vt legeretur, prout lectum fuit per præfatum Archidiaconum decretum Sac. Con. Trid. (Examinatores autem) tunc dictus Illuſtriſſimus Dominus dedit decreta prædicta de Iudicibus, & Examinatoribus Secretario qui reuerenter accepit, & ab eodem pergamo legit, v3.

Decretum de Examinatoribus Synodalibus.

VT debitè dicto decreto pareamus, hos viros pietate, & doctrina habiles vobis proponimus, qui donec noua Synodus congregetur, examinandi fungentur muneribus.

Ioſephum Imperatrice V. I. D. Canonicum Tricaricenſem, & noſtrum Generalem Vicarium.

Ioannem Baptiſtam Paduano V. I. D. Archidiaconũ.

Detium Petronti V. I. D.) Canonicus noſtræ
Mutium Magnati.) Cathedralis.

An-

Andream Mazzacane V.I.D.	) Canonicos Collegia-
Ioſephum Antoniũ de Ado-	) tæ Eccleſiæ S. Marti-
na V. I. D.	) ni de Cerreto.

Philippum Paulella V. I. D.
Iulianum Gaudio V. I. D.
Iacobum Salamone V. I. D.
Carolum Paulella V. I. D.
Carolum Golino.
Marcum Pigna S. Th. D.
P. Petrum Paduanum Ordinis Conuentualium S. T. M.
P. Antonium de Angelis Ord. Conuent. S. T. M.
P. Cæſare de Laurentijs Ord. Conuent. S. T. M.
P. Seraphinũ à Iuliano Ord. Strict. Obſ. S. Franciſci.

Et ſtatim Secretarius rogauit Synodum, probarent ne examinatores prædictos, Reſponderunt Placet.

Deinde dicti Examinatores proceſſere in medium, & tactis Sacroſanctis Euangelijs, promiſere, ſpopondere, ac iurauere, quantum in ipſis foret, verè, fideliter, ac ſincerè executuros eorum munus.

His peractis dictus Archidiaconus iterum aſcenſo pergamo legit decretum Sac. Con. Trid. de Iudicibus Synodalibus, quo lecto iterum Secretarius Synodi ab eadem pergamo legit Decretum de Iudicibus Synodalibus, vt infra.

Decretum de Iudicibus Synodalibus.

NOs ergo Sac. Con. Trid. hanc determinationem debitè amplectentes, hos vobis proponimus viros in Iudices Synodales, donec noua Synodus congregata fuerit.

Io-

Ioſephum Imperatrice V. I. D. Canonicum Tricaricenſem noſtrum Generalem Vicarium.
Ioannem Baptiſtam Paduano V. I. D. Archidiaconum noſtræ Cathedralis.
Detium Petronti V.I.D.Canonicum Cathed.eiuſdē.
Andream Mazzacane V. I. D. Canonicum Collegiatę S. Martini de Cerreto .
Et ſtatim Secretarius rogauit Synodum , an illos probarent, & Reſpondet Placet, & deindè ſubdit.

Decretum de Teſtibus Synodalibus.

SAc. Can. ſtatutis , & antiqua conſuetudine in Diœceſanis Synodis ſolent eligi nonnulli viri virtute,& integritate probati, qui, ſi quid viderint, aut ſciant in Diœceſi correctione , & emendatione indigere , Nobis, aut noſtro Generali Vicario deferant , vt prouideri poſſit ; Nos ergo eligimus in teſtes Synodales hos , qui in hac ſchedula noſtro Sigillo ſignata adnotati ſunt.

Poſtmodum idem Promothor pro lectione Synodalium Decretorum inſtetit , & Inſtantia abſoluta Vicarius Generalis exhibuit codicem Decretorum Synodalium Illuſtriſſimo Domino , qui eum tradidit præfato Secretario , quo reuerenter accepto , iterum ſugeſtum aſcendit , & decreta prædicta promulgauit, & ſunt, vʒ.

In Nomine Sanctæ, & Indiuiduę Trinitatis Patris,& Filij, & Spiritus Sancti.

NOs Ioannes Baptiſta de Bellis V. I. D. Dei, & Apoſtolicæ Sedis gratia Epiſcopus Theleſinus quantum paterna poſſumus diligentia incumbentes, vt ſtudium ſanctæ diſciplinæ promoueatur, moreſq; reformentur, ea, quæ ſequuntur decernimus, & qua valemus authoritate omnibus reſpectiuè obſeruanda mandamus.

DECRETA SYNODALIA.

De Doctrina Chriſtiana.

DVm occaſione Sanctæ Viſitationis localis huius Diœceſis maximo noſtri animi dolore comperimus quamplurimos, etiam ætate prouectos penitùs eſſe ignaros diuinorum præceptorum, & articulorum, & miſteriorum fidei; idcircò, vt tanto occurramus malo, & animarum damno, quantum in Nobis eſt, & ſollicitudo Paſtoralis requirit diſtrictè præcipimus, ac mandamus Archipræsbyteris, Parrochis, & omnibus, quibus animarum cura imminet, vt in omnibus Dominicis, & Feſtis diebus

ad ſonum campanæ, & per loca Parrochiæ cum delatione Crucis, & campanelli curent conuocare, & coadunare pueros, & rudes, & illos ſic congregatos in Eccleſia docere Doctrinam Chriſtianam attentè, & planè cum clara explanatione articulorum Fidei, & miſteriorum, iuxta formam inſtructionis traditæ de ordine fel. mem. Clem. VIII. ab Eminentiſſimo Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinali Bellarmino. Aliquos eorundem, quos ex eorum prudentia exiſtimabunt interrogandos, interrogent, & inſtruant, ac, vt maiori cum facilitate congregentur, mandamus Clericis, vt in tam ſalutari Officio Parrochis aſſiſtant, & inſeruiant, etiam in conuocatione ſupradictorum puerorum, ac rudium, ſub pœna, ſi per tres vices in id defecerint, trium librarum ceræ albæ laboratæ, ſiuè carcerum formalium noſtro arbitrio reſpectu Clericorum. Parochorum verò carolenorum decem ſingulis vicibus. Volumus autem, vt ſub eiſdem pœnis reſpectiuè explanatio dictæ Doctrinæ Chriſtianæ modo ſupradicto in Pagis, in quibus vna, vel duo Miſſæ dicuntur, fiat poſt Euangelium in ambabus, & de veſperè hora ſolita. Inſuper in iungimus ſupradictis Archipresbyteris Parrochis, & Curatis omnibus, vt ſingulis diebus feſtiuis moneant parentes, & omnes curam puerorum habentes de obligatione, quam habent docendi eorum filios, ſiuè ipſis ſubiectos myſteria fidei, & alias orationes, quæ ad vitam Chriſtianam ducendam pertinent, vel ſaltem curent inſtrui per Parochum, ſiuè per alios, & de prædictis interrogentur in Confeſſione Sacramentali, an ipſi filios, & ſibi ſubiectos inſtruant, ſiuè inſtrui faciant, in quibus caſibus be-

neficium abſolutionis eis non impertiatur, vſque dum eorum obligationi non ſuppleuerint, & quando eis videbitur, etiam interrogent pænitentes ipſos, an prædicta ſciant, nam rudes de facili in hoc deficiunt, prout alias de prædictis in noſtris Viſitationibus moniti fuere.

De Libris Prohibitis.

LIbri deprauatæ lectionis quantum damni Eccleſiæ Dei afferant, quantum mores corrumpant, nemo eſt, non impius, qui neſciat, &, quod magis dolet, ita hominum nonnullorum inoleuit malitia, vt quaſi præſumentes vanè magis ſcire, quam Eccleſia, quę illorum optima ratione vetuit lectionem, prohibitiones paruipendunt, illoſque tenere, & legere non verentur, maximo cum animarum detrimẽto, & Diaboli fructu (a). Ea propter pænas à Sac. Conc., & Summis Pontificibus inflictas in memoriam reducentes, mandamus præcipuè Parrochis, & Confeſſarijs, vt ſedulò incumbant hunc abuſum extirpare, nec detinentes libros prædictos abſoluant, niſi prius Nobis tradiderint illos ad effectum cremandi.

(a) Leone X. in conſ. Lateran. Iul. III. conſ. Triden. ſeſſ. 4. cap. 6. & in Bulla Cœnæ. Reg. in dicto Conc. Trid.

Si verò de illis ſint, qui in Bulla ſolita legi in die Cœnæ Domini prohibentur, animaduertant, quid faciunt.

De Blaſphemis.

QVod magis animum noſtrum perturbat, & intrinſeco dolore Nos afficit, eſt nonnullorum in

hac

hac noſtra Diœceſi ita deperditorum malitia, vt (vix dicere audemus) ita ex peſſima, & deprauata conſuetudine, nedum Sanctos, & Beatam ſemper Virginem Mariam, ſed Deum ipſum Dominum noſtrum, & Creatorem, quem, ò vtinam dignè laudare poſſemus, ita peruersè Plaſphemant, quod vix credibile eſt; imò mulieres etiam, & pueros peſſimo eorum exemplo didicerunt. Cui malo occurrere volentes ab initio noſtri Præſulatus abominabilem hunc abuſum extirpare cupientes, & per Nos, & per Concionatores, & Confeſſarios laborare non deſiſtimus. Volentes igitur, quantum poſſumus, prouidere, non ſolum in memoriam reducimus pœnas contra talia patrantes à Iure ſtatutas, quas, vt luant, omnibus viribus incumbemus; aliam conſtitutionem Synodalem confirmantes, etiam præcipimus, vt tales, qui vltra tres vices Deum, aut B.Virginem; Vel Sanctos vltra ſex vices blaſphemauerint, eo ipſo in excommunicationem incidant, à qua abſolui non poſſint, niſi de noſtra, vel noſtri Vicarij Generalis ſpecialis licentiâ. Et Archipresbyteri, & alij curam animarũ habẽtes frequenter hoc notificent populo; Et tam ipſi, quam Confeſſarij, ſiuè Seculares, vel Regulares ſint, ſtudeant hanc peſſimam zizaniam ab agro Domini extirpare; monendo populum, & pænitentes quam habent obligationem denunciandi in caſibus in ſacris Canonibus, & Summorum Pontificum conſtitutionibus contentis, præſertim Gregorij VII., Innocentij IV., & Nicolai III., & Leonis X., & alterius prædictæ conſtitutionis huius Diœceſis.

De obſeruatione Feſtorum Dierum.

Ex Bulla Pij V. cum primum cap. 1. & fin. de ferijs cap. non decet 12 diſt. conſ. Trid. ſeſſ. 25. de refor. poſt cap. 21. de dieb. feſt.

NOn tantum neceſſe eſt in omnibus diebus Dominicis, ac feſtiuis de præcepto quemlibet Chriſtifidelem à labore, & exercitio operum ſeruilium ſe abſtinere, vt ex Decalogo præcepto, tot, tantiſque Sum. Pontificum conſtitutionibus, & decretis ſancitum eſt, niſi aliter cauſa pietatis, publicæ vtilitatis, ſiue grauis neceſſitatis popoſcerit, in quibus caſibus adeant prius, in hac Terra Cerreti nos, vel noſtrum Generalem Vicarium, vel Reuerendum Archidiaconum noſtræ Cathedralis, ſiue Archipresbyterum Collegiatæ Sancti Martini, quos ad hoc deputamus: In alijs verò locis noſtræ Diœceſis noſtros Vicarios Foraneos, & in eorum defectu Curatos, qui prudenter circa veniam prædictam ſe gerant; Verum etiam quiſq; miſſæ ſacrificium audire tenetur, & ad diuina officia, & orationes ad ſanctificationem dictorum dierum incumbi conuenit, ne propterea noſtro Paſtorali muneri deficiamus, diſtrictè mandamus omnibus Archipresbyteris, Parrochis, & Curatis, quatenus ſub pœna noſtro arbitrio melius viſa non prætermittant inter miſſarum ſollemnia dies feſtos in hebdomada occurrentes Populo denunciare, & tranſgreſſores ex praua conſuetudine in obſeruatione dictorum dierum feſtorum excommunicationis pœnam nouerint ſe incurſuros iuxta alias Conſtitutiones Synodales huius Diœceſis. At quia audiuimus irreppiſſe abuſum nonnullas mulieres pretextu luctus, & vani ploratus ſuorum propinquorum defunctorum in diebus Dominicis, & Feſtiuis miſſas non audire,

vt

vt huic corruptelæ, ſiuè abuſui debitis occurramus remedijs; mandamus, vt in futurum Parochi attentè inuigilent ſuper inobſeruantia, & abuſu prædicto, & ſi aliqua fuerit mulier, quæ ità ſe contineri domi præſumat, prætermittendo miſſas diebus Dominicis, & feſtiuis de præcepto audire, illam moneant ſuper obligatione prædicta, verum ſi monitioni huiuſmodi acquieſcere, vel obtemperare renuerit, ſtatim Parochi prædicti ſub pœna arbitrio noſtro melius viſa ad Nos deferant, vt contra eam ad pœnas infligendas legitimè deuenire poſſimus.

De Sacramento Baptiſmi.

CVm Baptiſmi Sacramentum ianua ſit omnium Sacramentorum, ideò ſuper eiuſdem adminiſtratione magnoperè animaduertendum eſt, & ne in eius forma, & in alijs ſubſtantialibus eiuſdem Sacramenti erretur in perniciem, & damnum animarum, mandamus RR. Archipresbyteris, Parochis, & Curatis omnibus, vt ſingulis menſibus interrogent obſtetrices, an calleant formam dicti Sacramenti, & ſi ignaras repererint, eis mandetur ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, ne exerceant officium prædictum, alias ſciant dictos Parochos à Nobis fore arbitrio noſtro puniendos.

Iidem extra caſum neceſſitatis non audeant infanti alicui, qui non ſit de eorum Parochia, Baptiſmi Sacramentũ conferre, vt quiſque ſciat ſui ouilis oues, & ſi id occurrerit fieri de licentia proprij Parrochi, quiſque ex eis infra horas vigintiquatuor nomina, & cognomina infantium, parentum, & patrinorum

de-

deſcribat propria manum in libro, tam propriæ eorum Parochiæ, quam Parrochiæ infantium, ſub pœna Nobis melius viſa, etiam carcerum formalium, & ſub eadem pœna Sacramentum prædictum per alios Sacerdotes conferri non permittant, extra caſum prædictum neceſſitatis, abſq; noſtra, vel noſtri Generalis Vicarij expreſſa licentia in ſcriptis obtinenda, quæ conceſſa intelligatur; dummodò in actu collationis aſſiſtat Parrochus, vt euitetur omne dubium, & periculum errandi in præiudicium animarum dictorum Infantium.

De Sacroſancto Euchariſtia, & annua Communione.

(a) Ex cap. multi quæſt. 1. cap. Sacrificium de cõſecr. diſt. 2. & conſ. Trid. ſeſſ 13. de Sacr. Euchar. cap. 3.

SAnctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum (a) maximum eſt omnium Sacramentorum, maxima igitur reuerentia, & veneratione proſequi debemus; mandamus idcircò, vt dum tempore Solemnitatis Corporis Chriſti in Cathedrali, ac alijs Parrochialibus, ſiuè in eiſdem, & alijs Eccleſijs, & Oratorijs alijs anni temporibus, in quibus non aliter, quam de noſtra licentia expoſitio fiet, ſemper exponatur cum decenti numero luminum, & aſſiſtentia, ſaltem vnius Sacerdotis ſuper pellicio induti, & fideles, qui in Eccleſijs, ſiuè Oratorijs prædictis conuenerint, ſemper detecto capite, genuflexi, & orantes permaneant, ne ob eorum irreuerentiam (quod Deus auuertat) iuſta in nos cadat Diuina vltio.

(a) Cap omnis vtriuſq; ſexus de pænit. & remiſ.

Mandamus inſuper, vt quilibet fidelis, qui ad communionem annuam tenetur (a) præſcripto Sacr. Can., Sacra Communionem reficiatur in propria

Par-

Parrochia, vel in noſtra Cathedrali, alias ſciat præcepto Paſchali non ſatisfaciſſe, & ſi quod abſit, ab aliquibus ſchedulas forſan extorſerit, ſciat, tam ipſum, quam eos, à quibus dictas ſchedulas acceperit, excommunicationem latæ ſententiæ incurrere, & eadem pœna innodatos eſſe volumus diſtributores ſchedularum prædictarum ſciēter dantes plures ſchedulas eiſdem communione refectis, & Parochi inuigilent, vt ſchedulæ prædictæ diſtribuantur fideliter, ſuper quo eorum conſcientiam oneramus.

In Eccleſijs, vbi non aſſeruatur SS. Euchariſtiæ Sacramentum, ſaltem pro adoratione, ſepulchra in feria quinta Cœnæ Domini fieri inhibemus, ſicuti pluries per Sacr. Rit. Cong. decretum eſt, ſub pœna interdicti Eccleſiæ.

Parochialibus verò, & alijs, vbi aſſeruatur dictum Sanctiſſimum Sacramentum, ſtante quod in Sepulchris, quæ fiunt in hebdomada maiori reperimus ſeruari Sanctiſſimum Chriſti Corpus in Calice, ſiuè Pixide, quæ detecta, & proſpecta habetur, quod valdè indecorum, & non ſine periculo videtur, mandamus dictum Calicem, & Pixidem cum Sacramento reponi in aliqua capſula decenti, ſiuè Tabernaculo paruo, de quo prouideatur, & claudatur cum claue (a) quæ detineatur per Parrochum, ſiuè Sacerdotem, qui Eccleſiæ præerit, ſub pœna nobis melius viſa, etiam interdicti Eccleſiæ.

(a) Ex Conc. Lateran. ſub Innoc. III. cap. 20.

Archipresbyteri, & Curati omnes memores ſint eorum muneris circa animarum curam, ne propter eorum incuriam aliquid in Diuinis patiantur detrimentum, & pro ſegnitie rationem Deo redditurí ſint, vndè principaliter inuigilent tempore quadra-

geſimali in inſtruendis Pueris, & quos non inſcios fidei rudimentorum, ſed idoneos, & habiles reputauerint, ad Sacram Communionem proximo Paſchate, & alios ætate minores ad Confeſſiones admittant, & ſi ſecus fecerint, pœna ducatorum decem pijs, &c. ſinguli punientur.

In memoriam inſtitutionis Sanctiſſimi Corporis Chriſti, qui diuitias ſui amoris effundendo in dicta feria quinta maioris hebdomadæ, proprijs manibus Apoſtolis ſuum Corpus dedit ad manducandum, hortamur omnes de Clero, vt die præfata Sacra Communione reficiantur, & ſolum in Eccleſijs, vbi aſſeruantur Sacramentum, vna tantum miſſa celebretur, iuxta laudabilem Conſtitutionem Synodalem huius Diœceſis de anno 1652. ſub pœna noſtro arbitrio reſeruata.

De Sacramento Pœnitentiæ.

Ex decret. S. C. in anno 1620. Ex literis S. Congr. Epiſc. & Regular.

CONfeſſiones mulierum non audiantur de ſero poſt pulſatum ſignum ſalutationis Angelicæ, aut antequam dies clareſcat, & Confeſſarij caueant arctare pœnitentes, ne alijs ſua cònfiteantur peccata, nec ab eis in actu Confeſſionis petant eleemoſynas miſſarum, nec aliquid muneris recipiant ſub pœna ſuſpenſionis à Confeſſionibus audiendis ipſo facto incurrenda; Parochis verò, & Curatis ducatorum viginti.

(a) Ex præſcript. S. C. in vna Neap. 26. Mar. 1593.

Ijdem Confeſſarij non audeant domi, niſi in caſu neceſſitatis, confeſſiones tam virorum laicorum, quam mulierum audire, (a) ſed reſpectu mulierum, illas tantum in Confeſſionalibus Eccleſiarum ſitis

in

in locis patentibus (b) vbi adſit crates ſtamnea, audiant, ſub pœna ſuſpenſionis ab exercitio Confeſſionis ipſo facto, & ſaltem in diebus feſtiuis non ſiſtant in Confeſſionalibus, niſi cum cottis, & ſtola.

(b) Ex decreto S.C. 1575. Camerino die 25. Aug. & Rimini die 26.

De ordinis Sacramento.

CVm per Sacros Can. & per Sacrum Conc. Trid. diſpoſitum ſit, nullum prima Tonſura eſſe initiandum, niſi inter alia probabilis coniectura ſit eundem futurum eſſe vtilem Eccleſiæ, & dictum vitæ genus ad cultum Deo præſtandum elegiſſe, propterea hac noſtra Synodali Conſtitutione ſancimus, neminem dicta Clericali Tonſura eſſe decorandum, niſi prius per annum ad ſeruitium alicuius Eccleſiæ incumbuerit cum Clericali habitu de noſtro ordine deferendo, & legitimè conſtiterit in noſtra Curia ſufficiens patrimonium ſibi non de futurum, cum fuerit ætatis ſuſcipiendi ordines ſacros.

Seſſ. 23. cap. 16. cap. numinem 70. diſt.

Qui beneficia Eccleſiaſtica prætendunt obtinere (quæ dignioribus conferri debent) aut ad ordines promoueri, & præcipuè ad Subdiaconatum, & prima Tonſura initiari, nullo modo audeant commendationes adferre, (a) quod ſtrictè præcipimus, ſed tantum commendari ſe faciant ab eorum bonis moribus, & doctrina; ac nouerint, quod ſi requiſita prædicta habuerint, præter illos, qui de beneficio Eccleſiaſtico ſunt prouiſi, nullo modo promouebuntur, niſi pro vera, & exiſtenti neceſſitate, vel vtilitate Eccleſiæ.

(a) Ex Diuo Gregorio lib. 4. epiſt. 55. ibi. (per gratiam)

Vt autem in poſterum, quantum in Nobis eſt, tolla-

tur occaſio committèndi fraudes circa patrimonia ab ijs, qui ob Eccleſiæ vtilitatem, ſiue neceſſitatem promouendi ſunt ad Sacros Ordines, & euitentur cenſuræ à Sac. Can. inflictæ contra promotos ſine patrimonio ſufficienti, ſiue fictitio, mandamus, vt antequam fiant denunciationes, ad Nos deferant notam bonorum ſtabilium, quæ patrimonio erunt ſubmittenda, & alia conſimilis affigatur in valuis Eccleſiæ propriæ, & publicetur à Parochis inter miſſarum ſolemnia Populo aſſiduo cum declaratione impedimentorum iuxta formulam ipſis tradendã, & de omnibus Curia certioretur, & ſint diligentes Curati in prædictis fideliter agendis, & fides tam prædictorum, quam de alijs requiſitis non veras facere caueant ſub pœna carceris formalis noſtro arbitrio.

De Sacramento Extremæ Vnctionis.

CVm inimicus noſter Diabolus calcaneo inſidietur, maximè igitur incumbendum eſt, vt fideles, cum ad extremum fuerint, (a) ſpiritualibus reficiantur remedijs, & extremæ Vnctionis Sacramento corroboratione non orbentur, mandamus RR. Archipresbyteris, Parochis, & Curatis omnibus, vt infirmos quotidiè viſitent, Sacramenta neceſſaria adminiſtrent, eiſq; modo particulari aſſiſtant per ſe, vel per alios Sacerdotes ſub pœna Nobis melius viſa.

(a) Magiſter in 4. diſt. 23.

De

De Sacramento Matrimonij.

CVm alias per noſtros Prædeceſſores ſignanter in Synodo Illuſtriſſimi Prędeceſſoris Epiſcopi Cito anno *1676.* mandatum fuerit, quod non abſoluerentur ij, qui contracto matrimonio poſt elapſos quatuor menſes Nuptiæ prædictę, &c. benedici non curauerint iuxtà S. R. E. ritum; attamen experientia compertum eſt ferè ab omnibus id negligi; confirmando itaque prædictum decretum, (quando erunt benedicendæ) iniungimus omnibus *Parrochis*, ne prætermittant monere ſponſos ad vtilitatẽ benedictionis prædictæ, quæ à mundi creatione originem traxit. *(a)*

(a) Geneſ. cap. 1. & Tob. cap. 7.

Antequam Parochi matrimonia contrahenda inter miſſarum ſolemnia, (vt tenentur) publicent, curent interrogare ſponſos de mutuo conſenſu, & an calleant fidei erudimenta, & ſi repererint aliquem ipſorum eſſe ignarum, prius inſtruant, & doceant, poſteà ad denunciationes deueniant, monendo Populum ſe teneri ſub pœna peccati mortalis impedimenta denunciare, (a) & ſponſi, & ſponſæ non conueniant ad inuicem, antequam matrimonium in faciem Eccleſiæ contractum fuerit ſub pœnis alias emanatis in præcedentibus Conſtitutionibus Synodalibus.

(a) Ex Barboſ. in coll. ad. S. C. T. ſeſſ. 24. de refor. cap. 17. n. 34.

Monemus inſuper Parochos, ne in coniungendis in matrimoniũ ſponſis audeant eos compellere ad aliquod munus præſtandum, ſiue ſoluendum, etiam prætextu immemorabilis conſuetudinis, ſed tantum ipſis licitum ſit aliquid accipere à ſpontè dantibus iuxtà Sac. Congregationis decretum de an-

no 1632. die 3. Aprilis in vna Theleſina.

De Miſſarum celebratione, diuinorum Officiorum recitatione, & Chori diſciplina.

OMnes de Clero, dum in Eccleſia, vel in Choro diuina munia perſoluerint, vtantur ſuper pellicijs mundis, & grauitatem cum modeſtia obſeruent.

Antequam miſſæ ſacrificium celebrent, & poſt illius celebrationem, recitent orationes præparatorias, & gratiarum actiones reſpectiuè, manus mundent, (a) & alia, quæ à Rubricis præſcripta ſunt, prorſus ſeruent.

(a) Ex microlog. cap 1. & 23. & ex Innoc. lib. 1. cap. 47. & 49.

Dum miſſæ cantantur, & diuina officia in Choro perſoluuntur, omnes pauſatim, attentè, deuotè, non feſtinanter ſe gerant, caput aperiendo, genuflectendo, & ſtando reſpectiuè in illis actibus, in quibus à Rubricis Miſſalis, & Breuiarij præſcriptæ ſunt actiones illæ, & dum dicta officia diuina in Choro perſoluuntur, laicos commiſceri, & Chori ſtare non permittant, ſed illos dimittant, nec inter eos vllo modo audeant confabulari, alias vti abſentes punctentur; quod ſi ſecus fecerit punctator, noſtro arbitrio punietur, etiam excommunicationis pęna.

Quilibet Sacerdos, ſiue in Sacris Conſtitutus diuinum Officium recitet, & miſſas reſpectiuè celebret iuxtà Ritum rubricarum generalium, & illius Eccleſiæ obligationem, cui inſeruit, ſiue inſeruire tenetur, & adeſt adſcriptus ſub pœnis à Iure inflictis, & alijs noſtro arbitrio.

Iux. bullam Pij V. de anno 1568 ideb. Iul. & decret. S.C. iuſſu Viban. VIII.

De

De Reuerentia Eccleſiarum.

ECcleſiam Altiſſimi Dei domum ſanctitudo docet, ideò, vt ſit tantum pacis, & orationis locus, diſtrictè præcipimus, ne inibi vllus immoderatè confabuletur, cachinnet, nec deambulet, ſiue alios actus in decoros faciat, maximè, dum diuina officia, & miſſa celebrantur. (a)

Inſuper inhibemus clamores, tumultus, rixas lites, ſiue iurgia, & clamores, & ploratus, qui à coniunctis fieri ſolent tempore, quo cadauera ſepelienda ſunt ſub pœna ducatorum vigintiquinque noſtræ iuriſdictioni ſubiectis, reſpectu verò laicorum excommunicationis.

Mandamus quoque, ne quiſque audeat adhęrere Altaribus, *(b)* à quibus quempiam abeſſe curet Sacriſta, ſiuè quilibet Præfectus Eccleſiæ ſub pœna Nobis melius viſa, etiam reſpectu adhærentium.

Caueant quoque fideles in atrijs, & gradibus Eccleſiarum ludere ſub pœna excommunicationis ipſo facto incurrendam.

(a) Ex cap. 2. de imm. Eccl. in 6. Greg. X. in conc. gener. habito Lugdunis, & Lugd. & Pio V. ſub die 1. Apr. 1566.

(b) Iuxta edicta S. Caroli de anno 1574. 13. Nouem.

De Proceſſionibus.

PRæter proceſſiones de iure permiſſas, mandamus, ne aliæ fieri poſſint tam publicè, quam priuatè abſq; noſtra, ſiuè noſtræ Curiæ venia ſcripta, iuxtà decretum Congregationis Sac. Rituum de anno 1662. die prima Aprilis ſub pœna ducatorum decem pijs vſibus, &c. Regulares verò pœnæ interdicti ſubiaceant, ſi eas extra Clauſtra, & ſepta Mona-

naſterij deferre auſi fuerint; & reſpectu Confraternitatum piorum locorum ſub pœna interdicti ab Eccleſia confratribus ipſis.

De Sepulturis.

Bonifac. VIII. cap. Cupientes de pœn. cap. grauis de ſent. excom.

POEnam à Summis Pontificibus inflictam contra Regulares inducentes ſuaſionibus, vel alijs modis infirmos ad eligendam ſepulturam in eorum Eccleſijs, vel alibi electam reuocare, hac præſenti Synodali Conſtitutione volumus incurrere etiam Eccleſiaſticos Seculares.

Sancimus quoque, quod ſi Confeſſarij ſint, ipſo facto ſuſpenſi cenſeantur ab exercitio audiendi Confeſſiones, nec aliter electio, quam ſi à duobus teſtibus liberè factam eſſe conſtiterit, valeat.

De Regimine Eccleſiarum, ſiue aliorum locorum Piorum.

IN pertractandis negocijs Eccleſiarum in Cathedrali, Collegiatis, & alijs Eccleſijs receptitijs conuocetur Capitulum, ſiue Clerus præſcripto ſigno campanæ cum afflixione cedulæ ad valuas Sacriſtiæ per aliquod temporis ſpatium antè, prout negocij commoditas, ſiue neceſſitas vrgebit, & quicquid fuerit propoſitum, & concluſum in ſcriptis adnotetur in libro adhunc actum detinendo cum ſubſcriptione intereſſentium, de quo libro infra menſem quælibet Eccleſia prouideatur per illos ad quos ſpectat, ſiue Procuratores, ſiue alios quocunque

cunque nomine nuncupentur ſub pœna caroleno-
rum triginta pijs vſibus, &c. Et quia experientia
compertum eſt, quod in ijs negocijs pertractandis
quandoque nonnulli non liberè ſuũ ſenſum aperiũt
ſub dubio, quod aliqui deferant partibus, & alijs
extra eos, & quandoque cum damno ipſarum Ec-
cleſiarum. Vt in poſterum omnibus ſit libertas
abſque tali formidine, animi ſententiam exprimen-
di, mandamus, vt ſi quis, cum negotium, tangens
alios proponitur, votum, ſiue ſenſum alterius pro-
palauerit cum quibuſuis alijs, quam inter eos, & ex
hac propalatione aliquid damni, vel odij ſit euen-
turum, ſuſpenſioni à diuinis ſubiaceat.

Capitula, etiam noſtræ Cathedralis, & Collegiata-
rum, & Cleri omnes, qui vnum corpus faciunt com-
pleto anno adminiſtrationis Procuratorum per ip-
ſos deſtinatorum, ſiue electorum ſub pœna ſuſpen-
ſionis à diuinis eligant Rationales, quibus electis
infra alios dies quindecim Procuratores prædicti
computa ſub pœna eadem reddant coram dictis
Rationalibus, qui infra alium terminum dierum
quindecim literas emanent ſignificatoriales, vel li-
beratoriales in forma ſub pœna nobis melius viſa,
etiam excommunicationis.

Cum non ſimus inſcij, quod ob ſegnitiem, & in cu-
riam Procuratorum, vel Adminiſtratorum Eccle-
ſiarum, ſiue aliorum locorum piorum, bona eo-
rundem depereunt, & ſignanter nomina debitorũ,
mandamus propterea, vt in futurum Procuratores,
ſiuè alij adminiſtratores prædicti inuigilent ſuper
exactionibus debitores prædictos debitis modis co-
gendo, alias teneantur de proprio, & ob inobe-
dientiam arbitrio noſtro punientur.

Inſuper, ne curſu temporis depereant bona prædicta Eccleſiarum, Cappellarum, Confraternitatum, & aliorum locorum piorum, etiam in Eccleſijs Regularium ſiſtentium, infra duos menſes ſub pœna ſuſpenſionis conſtitutis in Sacris, & excommunicationis reſpectu aliorum ipſo facto, vbi confectum non eſt inuentarium bonorum, tam ſtabilium, mobilium, quam ſemouentium, prout in Sanctis Viſitationibus mandauimus, Procuratores, Oeconomi, Beneficiati, Archipresbyteri, Rectores, ſiue alij, ad quos reſpectiuè ſpectat, illud conficiant clarè, ac diſtinctè cum adſcriptione confinium, quoad bona ſtabilia, tituli in acceptione, & adnotatione ſcripturarum, diei, & anni, manu cuius Notarij, & aliorum omnium, quæ pro diſtincta notitia neceſſaria videntur, & vbi onera adſunt, deſcribatur onus, & curent etiam, vt ſi quando caſus occurrerit reſtitutionis capitalium à debitoribus, & pretium illorum in aliam conuertetur emptionem, omnia ſedulò ſimiliter adnotentur, idque etiam ſeruetur, ſi quando caſus euenerit alienationis, conceſſionis in emphiteuſim, ſiue permutationis alicuius rei ſtabilis, ſi ſeruatis ſeruandis fiet, in memoriam reducentes decretum Sac. Cong. de mente felicis memoriæ Vrbani VIII. & pœnas in eo contentas.

Adminiſtratores quarumuis Eccleſiarum, Confraternitatum, aliorumque locorum piorum nullo modo contractus, cenſus, aut inueſtituras bonorum eorundem faciant ſine licentia noſtræ Curiæ ſub pœna excommunicationis nobis reſeruata.

Non omittimus recordari ſupradictis, & alijs quibuſuis excommunicationem promulgatam à Gregorio X. contra ſubmittentes ſub protectione, ſiue iu-

iuriſdictione laicali bona Eccleſiarum, Confraternitatum, Hoſpitalium, & aliorum piorum locorum, & excommunicationem contentam in Sac. Con. Trid. ſeſſ. 22. cap. 11. de Reformatione contra bona prædicta occupantes, & alias pœnas, & cenſuras in Extrauaganti Ambitiosè *Pauli* II. contra alienantes, locantes, ſiue alio modo concedentes bona ſtabilia, ſiue mobilia pretioſa iuxta illius ſeriē.

Facta electione Oeconomorum, & Adminiſtratorum Cappellarum, Confraternitatum, vel quorumuis locorum piorum, non aliter ad exercitum, ſiue adminiſtrationem admittantur, niſi præſtito per eos iuramento de bene, ac fideliter adminiſtrando coram Vicario noſtro Generali in hac Terra Cerreti, & in alijs locis Diœceſis coram Vicarijs Foraneis, & in eorum defectu RR. Archipresbyteris, ſiue Curatis, & adnotetur in libro, in quo adnotatur electio ſub pœna excommunicationis, Conſtitutionem Synodalem huius Diœceſis renouantes.

Quilibet Rector, Procurator, Oeconomus, Magiſter, ſiue alio quocumque nomine nuncupetur, Eccleſiarum, etiam Cathedralis, Confraternitatum, Hoſpitalium, & quoruncumque locorum piorum in principio ſuæ adminiſtrationis inuentarium bonorum mobilium curet ſibi tradi à ſuo Prædeceſſore, & completo anno teneatur Succeſſori conſignare inuentarium, & bona prædicta cum Apoca de recepto ſub pœna eadem excommunicationis, & refectionis de proprio in caſu, &c.

Capitula noſtræ Cathedralis, & Collegiatarum, & Cleri omnium aliarum Eccleſiarum, quæ receptitiæ ſunt, & vnum corpus faciunt, habeant apud ſe arcam, in qua depōnantur omnes pecuniæ, ca-

pitalium, vſque dum legitimè,prout de iure implicabuntur; quæ arca detineatur pœnes perſonam ab ipſis Capitulis, & Clero reſpectiuè eligendam, in cuius electione diligenter perpendant, habeatq; dicta arca duas claues differentes, quarum altera detineatur per detentorem arcæ, & altera per Procuratorem, & ſi occurrerit arcam detineri in Domo Procuratoris, altera clauium detineatur per alterum Canonicum, ſiue Præsbyterum ab ipſis reſpectiuè eligendum ſub pœnæ ducatorum decem, tam Procuratori, ſi dictam arcam infra menſem fieri non curauerit, quam toti Capitulo, ſiue Clero reſpectiuè.

In qualibet Sacriſtia Eccleſiarum Collegiatarum, ſiue receptitiarum, ac etiam noſtræ Cathedralis ſingulis annis habeatur liber, in quo adnotentur omnes miſſæ, quæ celebrabuntur pro onere,& obligatione dictarum Eccleſiarum, Cappellarum, & Altarium earum reſpectiuè, & in eo ſingulis diebus quilibet Canonicus, Cappellanus, ſiue Sacerdos miſſam, quam celebrauerit, adnotet, & ſic ſeruetur in qualibet alia Eccleſia, & Cappella huius noſtræ Diœceſis.

Singularum Ordinationum, quas dedimus in Sanctis Viſitationibus huius Diœceſis pro Chori, & Sacriſtiæ regimine, copias reſpectiuè in dicto Choro, & Sacriſtia apponi mandamus.

De Iuramento præſtando in manus Officialium contra Damnificantes.

CVm Iuramentum ſit vocatio Dei in teſtem facti, circa quod iuratur, nulli licet illud præſtare, niſi magna cum aduertentia, ne periurando in laqueos incidat Diaboli; at, cum frequentes ſolitum ſit illud præſtari contra damnificantes prædia, & iuramento damnum paſſi credatur, inoleuit abuſus iurandi per damnum paſſos vltrà vices, & vltrà numerum perſonarum, & animalium damnificantium in graue proximi damnum, & præiudicium eorum animarum; vndè cupientes talibus malis occurrere, monemus omnes, vt antequam Iuramentum præſtent, benè, rectèque perpendant, an verè damnum, per quos, per quæ, & quot animalia, & quot vicibus ſit illatum, & ſi taliter (quod Deus auuertat) præcipitanter, & abſque certa notitia iurauerint accuſando, ſciant ſe reos eſſe peccati mortalis, cui annexam eſſe volumus excommunicationem Nobis reſeruatam, & ad reſtitutionem teneri quantitatis pœnarum, quas indebitè lueret ille, contra quem accuſationes prædictas iurando propoſuerint. Et, vt hoc magis ad notitiam veniat, volumus quod Curati omnes frequenter inter miſſarum ſolemnia denuncient Populo vulgari ſermone:

De Vita, & honeſtate Clericorum.

DEcet in ſortem Domini vocatos (a) non ſolum vitijs, ſed vitiorum ſuſpicione carere, & ita viuere,

(a) Cap. cui portio. 12. q. 1. Cap. Cleros 21. diſt. vbi gloſ. & ead. in cap. porro. diſt. 56. Magiſter Sent. diſt. 24. lib. 4.

uere, vt Populum verbis, & exemplo ędificent; ipſi enim ſunt ſpecula, in quæ cæteri oculos conuertunt, vt ex Sac. Con. Trid. (idcircò, quæ à Noſtris Prædeceſſoribus tot, tantiſque vicibus ſancita ſunt confirmando, mandamus infraſcripta, videlicet.

(b) Seſſ. 22. de ref. cap. 1.

Primò, vt comam non nutriant. Habitum talarem; ac decentem induant, & cum Tonſura, & cinta ſub pœna amiſſionis veſtium, & carceris formalis arbitrio noſtro.

Conſ. Trid. ſeſſ. 14. de ref. cap. 6.

Si verò cum coma, vel cum veſtibus breuioribus miſſas celebrauerint, vltrà prædictas pœnas, etiam ducatos ſex ſingulis vicibus perſoluent, pijs, &c. Etſi in Choro, vel in Eccleſijs diuina officia celebrauerint, vel extra Eccleſias Proceſſiones adire, & cadauera aſſociare ſuper pelliceis induti ſuper dictis veſtibus breuioribus, ſiue cum coma, vltra omnes prædictas pœnas, tamquam abſentes punctentur, & priuentur diſtributionibus, ſeu portionibus, quæ eis ſpectare deberent, nec inter eos, etiamſi Canonici Cathedralis fuerint, remittantur ſub pœna ſuſpenſionis à diuinis.

Gregorius Nanzianzenus in 4. oratione de pace cap. venio 11. q. 3., & cap. 2. de vit. & hon. Cler.

Arma prohibita, quæ ſub nominibus ſtili, verduci, gladij, ſiue cultelli, qui dicitur à fronde d'oliua, ſclopos paruos longitudinis vnius palmi, & infra ne deferant, nec domi detineant ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, & remigationis, ſiue relegationis per quinquennium inſpecta qualitate perſonarum.

Cap. ſi quis contumar, & cap. qui Subdiaconum 15. queſt. 4.

Deferentes verò vltra prædicta, vel domi detinentes pugiones, cultellas, ſclopos longitudinis quatuor palmorum, & infra, aliaque genera quorumcumque armorum, præter infraſcripta, pœnæ ſex menſium carceris formalis ſubiaceant, alijſque noſtro arbitrio.

Sclo-

Sclopos verò longitudinis vltrà quatuor palmos ſimiliter non deferant, niſi cum venia Curiæ in ſcriptis obtinenda, quæ non aliter concedetur, niſi pro venationis licitæ recreatione, aut ex altera rationabili cauſa (a) ſub pœna duorum menſium carceris formalis, & ſclopi amiſſionis, & omnes aſportationes prædictas, ſiue detentiones ſufficiat probari per teſtes.

Abſtineant à ſtrepitu Curiarum Secularium in cauſis criminalibus, exercendo munus Aduocati, ſiue Procuratoris, aut ſollicitatoris ſub pœna ducatorum decem pijs, &c. & eo fortiùs alios accuſando.

A Choreis, & ludis alearum, taxillorum, pilarum, caſei, & aliorum id genus, (b) omninò abſtineant ſub pœna ducatorum decem pijs, &c. ſiuè carceris formalis noſtro arbitrio ſingulis vicibus. Si verò publicè, ſiuè in Apotecis, vel Domibus ad ludos deſtinatis, ſiuè à luſoribus frequentatis luſerint, pœnam ſuſpenſionis à diuinis conſtitutos in Sacris, & excõmunicationis latæ ſententiæ in minoribus, etiã incurrere volumus eo ipſo, & probationes per teſtes ſufficiant licet, in actu non deprehendantur.

Non ſe ingerant in negotijs Vniuerſitatum, nec officio fungantur ad negocia publica pertinente abſq; expreſſa licentia noſtræ Curiæ obtinenda, quæ in ſcriptis ex legitimis cauſis concedetur, alias arbitrio noſtro punientur, etiam pœna carceris.

Non ſe immiſceant, nec operam dent negociationibus illicitis, & à Sacris Canonibus (c) vetitis, ſed tantum vacent diuinis officijs, & lectioni librorum ſpiritualium.

Scenica opera non repreſentent, nec illis, ſi profana fuerint, interueniant ſub pœna ducatorum ſex pijs, &c.

(a) Cap. dilecto, & ibi gloſ. de ſent. excom. in 6. cap. olim, & ibi etiã gloſ. fin. de reſtit. ſpoliat. cap. 123. q. 1.

(b) Cõſ. Trid. ſeſſ. 22. de refor. cap. 1.

(c) Ex eod. conſ. Trid. & ex cap fin. de vit. & honeſt. Cler., cap. 1. & cap. prædicatur 16. q. 1. cap. negotiatorem 88. diſt. & cap. 1. 14. queſt.

&c. ſiue carceris formalis arbitrio noſtro.

Conſ. Trid. vbi ſup. cap. presbyteri 19. diſt.

Nocturnos cantus, & ſonitus non audeant exercere, nec cum alijs in comitatu aſſiſtere, nec perſonatus facere in baccanalibus ſub pœna ſupradicta.

Mulieres apud ſe in domibus non habeant, niſi conſanguineas in primo, & ſecundo gradu, vel maturæ ætatis, honeſtæ conditionis, ac famæ per noſtram Curiam probandæ ſub pœna Nobis melius viſa, etiam excommunicationis.

Artes mecanicas, & præciſè viles, ac ſordidas penitus abhorreant, & Eccleſiaſticæ Dignitatis decorem ſeruent ſub pœnis à iure ſtatutis, & alijs noſtro arbitrio reſeruatis.

Quamlibet Mulierem docere in proprijs, vel alienis domibus artem literariam, ſiue mecanicam nulli liceat ſub pœna ducatorum decem pijs, &c. & carceris noſtro arbitrio.

Clerici, etiam Coniugati in Eccleſijs, quarum ſeruitio adſcripti ſunt, ſingulis diebus Dominicis, & feſtiuis de præcepto in primis, & ſecundis Veſperis feſtorum mobilium, & ſolemnium, & in alijs omnibus ſupradictis de manè aſſiſtant cum ſuperpelliceis mundis, ac biretis, inſeruiendo Sacerdotibus celebrantibus, & in deferendis turribulo, Cruce, & cereis, & in alijs ſibi iniungendis obediant Archipresbytero, ſiue Magiſtro Cæremoniarum, & Sacriſtæ ſub pœna ſingulis vicibus in caſu defectus, ſiue inobedientiæ carolenorum decem, pijs, &c. ſiue carceris noſtro arbitrio pro modo culpæ.

Quilibet Clericus ſaltem ſemel immenſe confiteatur; & ſacra reficiatur communione, & in omnibus ita ſe gerat, vt eius ſtatus, & mores à laicis diſcernãtur.

Nec denique vllus è Diœceſi diſcedat, & extra eam

vltra

vltrà vigintiquatuor horas moram faciat abſque noſtra, vel Vicarij noſtri generalis licentia ſub pœna nobis melius viſa, etiam carceris.

De Obedientia erga Superiores.

OBedientiam erga Superiores debitam, quam Apoſtolus inſinuauit, Sacri Canones præceperunt, & non immeritò, cum experientia compertum ſit ea orbem vniuerſum ſubſtineri, ac regi, ſine ea ſumma imis, & ima ſummis confundi; monemus igitur hoc Synodali Decreto, vt quælibet perſona Eccleſiaſtica noſtræ ſubiecta iuriſdictioni, non pœnæ formidine, ſed filialis obedientiæ amore noſtris obtemperet mandatis, alias, ſi, (quod Deus auuertat) inobedientes ſe oſtenderint requiſitionibus à Nobis, ſiue à noſtro Vicario Generali, etiam oretenus datis, carcerum pœnas incurrant noſtro arbitrio, abſq; alia monitione pro modo culpæ, & inſpecto inobedientiæ exceſſu.

De Conferentia caſuum conſcientiæ.

RVbricæ explanationem, & caſuum conſcientiæ conferentiam, quam hic Cerreti, & in alijs Oppidis huius Diœceſis ſemel in hebdomada faciendam in S. Viſitatione mandauimus, hac Synodali Conſtitutione denuò, & ſtrictè mandamus non prætermitti ſub pœnis alias impoſitis, & reſpectu Confeſſariorum ſub pœna ſuſpenſionis ab audiendis Confeſſionibus, niſi ex legitima cauſa defectus acciderit, & ſi negligentia aliquorum deficientium excedens fuerit, aliam pœnam maiorem noſtro arbitrió reſeruamus, etiam carceris.

De Monitorijs ad finem reuelandi.

VT fraudibus, & damnis partium, quæ de facilè committi poſſunt, occurramus, quando contingerit per noſtram Curiam concedi monitoria ad finem reuelandi, mandamus, quod in hac Terra Cerreti, poſtquam per Curſores publicata fuerint monitoria prædicta, reuelationes eorum, qui pro exoneratione conſcientiæ reuelare voluerint, in eadem noſtra Curia tantum recipiantur per Actuarium, ſiue Scribam eiuſdem,&ſi aliquis ſcriptas detulerit, non recipiantur,niſi per manus eiuſdem reuelantis, & eidem diligenter legantur, ſuper quo Actuarius, ſiue Scriba prædicti omni vtantur diligentia; ſi verò committantur publicanda per Curſores,ſiue Parrochos aliorum locorum noſtræ Diœceſis, reuelationes nunquam recipiantur per Curſores in cartulis, prout hactenus recipi compertum eſt, ſed tantummodò per Vicarios foraneos, ſiue per alios, quibus committetur,qui diligenter, ac fideliter ſcribant reuelationes prædictas in folijs ſucceſſiuè vnam poſt aliam cum ſubſcriptione, ſiue ſigno Crucis (ſi ſcribere neſciat) propriæ manus reuelantis, &ſi ſcriptæ afferentur, illas non recipiat, niſi delatas ab ipſiſmet reuelantibus, quibus ſimiliter prius de verbo ad verbum legantur,alias de eis nulla habeatur ratio, & illis receptis, & completis dictis denunciationibus ad hanc eandem noſtram Curiam tranſmittantur clauſæ, ac ſigillatæ,nec partibus vllo modo oſtendantur ſub pœna ſeuere infligenda noſtro arbitrio, etiam excommunicationis.

De

VEſtes, & indumenta ſacra, quæ pro vſu Miniſtrorum Dei deſeruire debent, nullus laicus, etiam prætextu aſſociandi proceſſiones, vel alia quacumque de cauſa induere præſumat ſub pœna excommunicationis, nec ea commodentur ad alium vſum, præterquam ad vſum diuinorum volentibus vti, ſub pœna noſtro arbitrio reſeruata. Clerici verò in minoribus ſimiliter ipſis non vtantur abſque noſtra, vel Vicarij noſtri generalis licentia, & ex iuxta cauſa concedenda, nam alias arbitrio noſtro ſeuerè punientur.

De Mulieribus Tertiarijs, vulgò Bizochis, ſiue alio quocumque nomine Nuncupentur.

CAueant Archlpresbyteri, Parrochi, Rectores, & Curati omnes, necnon Regulares cuiuſuis ordinis admittere mulieres cuiuſuis gradus, & conditionis exiſtant ad habitum cuiuſuis Religionis, ſiue Inſtituti, & ad votum caſtitatis publicè emittendũ abſq; expreſſa, & in ſcriptis licentia huius Curiæ, quæ tunc concedetur cum requiſita Leonis X., & decreta Sacræ Congregationis concurrerint, quod ſi ſecus fiet, ſupradicti Archipresbyteri, Parrochi. Rectores, & Curati pœnam ſuſpenſionis à diuinis, & Regulares interdicti Eccleſiæ nouerint ſe incurſuros, & mulieres prædictæ declaramus nullo frui priuilegio.

De offendentibus Officiales noſtræ Curiæ.

CONſtitutiones Synodales emanatas de anno 1652. ab olim Illuſtriſſimo Epiſcopo Marione, & de anno 1667. ab Illuſtriſſimo Epiſcopo Moia noſtris Prædeceſſoribus contra offendentes Officiales, Notarios, & Curſores dictæ Curiæ, ſiue eis iniuriã inferentes intuitu, vel occaſione eorum officij, aut miniſterij ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ denuò approbamus, & expreſsè confirmamus.

De Violatione, & apertura litterarum.

QVoniam reperimus in Synodo habita de anno 1662. latam eſſe excommunicationem latæ ſententiæ contra occupantes, aperientes, vel legentes alienas literas ſine conſenſu partium, decretum prædictum confirmando, addimus eadem pœna innodatos eſſe cenſendas omnes, qui alienas literas retinere ex induſtria præſumpſerint cum damno partium, ne commercium, quod per illas exercetur, depereat.

De Monialibus.

STudioſè euigilando pro paſtorali noſtri muneris ſollicitudine ad conſeruandam, regendamque; quantum in Nobis eſt, rectam diſciplinam Monialium, infraſcripta decernenda ſtatuimus, v3.

Conſtitutionem Synodalem emanatã de anno 1676. vt quælibet Monialis bona retineat ſub titulo communitatis, & ad diſpoſitionem Abbatiſſæ, per quam li-

licentia impertietur ad tēpus bonis prædictis vtendi,& erogandi infra tres carolenos quolibet menſe, præter pro ſeipſis neceſſaria, ſeruata forma earũ cõſtitutionum, alias tamquã proprietariæ puniẽtur,& vt nulla Monialis habeat Procuratorem particularẽ, ſed vtatur Procuratore Monaſterij ſub pœna excommunicationis ipſo facto incurrẽda, tàm ab ipſis Monialibus, quàm à Procuratore particulari, hoc noſtro Synodali decreto etiam confirmamus.

Pluries per Sac. Cong. fuit declaratum, quod introducentes infantes cuiuſuis ſexus, & ætatis in Monaſteria Monialium incidant in pœnã violatę Clauſuræ; (a) ideò omnibus hoc in memoriam reducentes, mandamus, quod etiam Moniales, & alij ad id cooperantes, conſilium, vel auxilium quomodocumq; præſtantes in excommunicationem latæ ſententiæ quoq; incidant, etiam ſi per Rotam ingreſſus prædictus ſequatur.

(a) 1579. Todi 7. Aprilis. 1580. Neap. 22. Mart. Como 16. Mart. 1593.

Nullus Sacerdos audeat celebrare, & in diuinis miniſtrare in dicti Monaſterij Eccleſia abſque licentia noſtra, vel noſtri Generalis Vicarij, ſub pœna in alijs Conſtitutionibus Synodalibus appoſita, & Monialibus, & Cappellano, ſi illos admiſerint, vnius menſis carceris.

Moniales non retineant libros, niſi ſpiritualia tractantes.& eorum lectioni vacent. Recitationi autẽ diuini Officij in Choro vnquam deficiant, niſi ex cauſa infirmitatis, vel alterius cauſæ grauis probandæ ab Abbatiſſa ſub pœna peccati mortalis.

Moniales, quæ ad Rotam fuerint deſtinatæ Rotariæ nuncupatæ, tempore, quo celebrantur diuina Officia non præſumant aliquam Monialem vocare ad inſtantiam alicuius, niſi ex re graui, & quæ protra-

Perſolutis diuinis Officijs, & Miſſis celebratis claudatur oſtium Eccleſiæ, & Claues detineãtur per Reu. Cappellanum ſub pœna eidem Cappellano vnius menſis carceris formalis.

Crates, in quibus colloquia habentur, tempore Quadrageſimali, & præcipuè hebdomadæ maioris, non aperiantur, & tempore eſtiuo ſeruetur ſilentium à prandio vſque ad Veſperas, per quod tempus oſtia cortilij, vel crates claudantur.

Oſtia dicti cortilij de manè aperiantur poſt Auroram, & de ſerò claudantur ſtatim pulſata vigeſima quarta hora ſub pœna vnius menſis carceris per Cappellanũ, cui hoc munus eſt demandatũ, incurrenda.

Seruent dictæ Moniales modeſtiam Regularem in veſtitu, & propè crates nunquam appareant, niſi compoſitæ, & ea modeſtia, quæ decet Chriſti ſponſas ſub pœna duorum menſium carceris.

Quælibet Abbatiſſa completo triennio ſuæ adminiſtrationis computa, & rationem reddat infra ſex menſes coram Rationalibus à Nobis eligendis, vel in noſtra Curia, nec amplius ſe ingerat in exactione introituum dicti Monaſterij prætextu ſui crediti ſub pœna priuationis vocis actiuæ, ac paſſiuæ, & alia noſtro arbitrio.

Nullus Secularis, & eò magis Regularis audeat accedere ad colloquendũ cum dictis Monialibus abſq; noſtra licentia in ſcriptis concedenda ſub pœna excõmunicationis ipſo facto nobis reſeruata, prout in Conſtitutionibus Synodalibus præcedentibus ſancitum eſt.

Sub eadem pœna nemo audeat ſcribere, & mittere, & ſcienter, vel cum dubio aſportare literas tractantes de inhoneſtis, etiam ſub æquiuocis, decretum Synodale alias emanatum confirmantes.

Tempore, quò alicui concedetur venia alloquendi cum aliqua Monialium, ſermo non habeatur de rebus inhoneſtis ſub pœna excommunicationis Nobis reſeruatæ.

Non ſe ingerant dictæ Moniales in matrimonijs pertractandis, niſi annum quinquageſimum exceſſerint ſub pœna ſingulis vicibus peccati mortalis, & alterius noſtro arbitrio.

Nulli Monialium, etiam ſi Nouitia, vel conuerſa ſit, liceat parare cibaria contrahentibus nuptias, & matrimonia per dies octo ante, & per totidem poſt diem nuptiarum ſub pœna excommunicationis ipſo facto; & duorum menſium carceris formalis, ſi in alijs temporibus cuicumque ſine noſtra licentia, ſiue noſtri Generalis Vicarij.

Cum contingerit alicui impertiri licentiam ingrediendi clauſuram ex aliqua iuxta cauſa, ducatur breuiori via, per eandemque redeat, nec alio pergat ingrediens, niſi ſolummodò, quandò, & quò ire fuerit neceſſe, (a) alias venia prædicta habeatur pro non præſtita, & nouerit ſe incurſurum in excommunicationem contentam contra violantes Clauſuram Sanctiſſimo D. N. reſeruatam.

(a) Hongr. in vna Aſſiſi 4. Aug. 1601. & Spolet. 1. Octob. Peſaro 1630. 14. Iunij, Salmona 4 Septembris, & Cremona 17. Septembr.

Pecuniæ, quæ vſque adhuc ad præſens mutuò datæ reperiuntur, etiam cum pignoribus, exigantur infra duos menſes, & conuertantur in emptiones audita Curia ſub pœna nobis melius viſa.

turpia alloquendi dictis temporibus meſſis, ac vindemiarum. Et Dominica ante feſtum Natiuitatis S. Ioannes Baptiſtæ ſimiliter publicent edictum emanatum ſuper abuſu, & vana obſeruantia ſe abluendi, tranſeundi per aquas, torrentes, & flumina, admiſcendo nonnulla verba ſuperſtitioſa, & herbas colligendo in die vigiliæ, atque Natiuitatis dicti S. Ioannis Baptiſtæ.

De Exorciſmis.

NEmo de noſtrò Clero, ètiam exterus àudeat in hac Theleſina Diœceſi quempiam exorcizare abſque noſtra, vel noſtri Generalis Vicarij expreſſa licentia in ſcriptis obtinenda ſub pœna trium menſium carceris formalis.

De Caſibus Reſeruatis.

QVoniam ex antiquiſſimo laudabili vſu, & præſertim Sac. Con. Trid. (a) decreto ſolent Ordinarij locorum nonnullorum grauiorum criminum abſolutionem ſibi ipſis reſeruare.

(a) In ſeſſ. 14. de Sacram. pænit. cap. 7.

Ideò reuocando, prout per preſentes reuocamus omnes, & quaſcumque facultates per Prædeceſſores noſtros, quatenus prætenderentur conceſſæ, & adhuc durare, ac per Nos, & noſtrum Vicarium Generalem, Abſolutionem ab infraſcriptis, tàm cum cenſura, quàm ſine, reſeruamus, à quibus mandamus, vt nemo ex Confeſſarijs, tàm Secularibus, quam Regularibus, præterquam in mortis articulo, audeat abſoluere abſque noſtra, vel noſtri Generalis Vicarij expreſſa licentia.

Ca-

Caſus reſeruati, quibus eſt annexa cenſura.

1 AButentes per ſe, vel per alium Sanctiſſimo Sacramento Euchariſtiæ, Chriſmate, Oleo Sancto, & alijs Sacramentalibus.

2 Sorti legos, Veneficas, Diuinatores, aut alio quocumq; nomine nuncupentur cum expreſſa, vel tacita Dæmonum inuocatione, ſtriges; atque veneficos, ad eos accedentes, & conſilium, & auxilium ab eis petentes.

3 Blaſphemantes Deum, ac Beatiſſimam Virginem pluries, quam ter, & Sanctos pluries, quam ſex.

4 Laborantes diebus feſtiuis ex praua conſuetudine.

5 Damnificantes territoria, menſæ Epiſcopalis, & ſcripturas, & bona quæcumque ad illam ſpectantia detinentes.

6 Detentores bonorũ Eccleſiarum, aut piorũ locorũ, & qui eorum iura, fructus, iuriſdictiones, & bona quomodolibet iniuſtè detinent, & non reſtituunt.

7 Turpia, & inhoneſta loquentes tempore meſſis, ac vindemiarum.

8 Sponſos, & Sponſas ante celebratum matrimonium in faciem Eccleſiæ per verba de præſenti inhoneſtè tractantes, aut qui ex eis ad alterius domum acceſſerit, &c.

9 Conficientes famoſos libellos, & literas contumelioſas abſque ſubſcriptione, mittentes, & ad id auxilium, vel conſilium dantes.

ſiue fructibus vltrà vices,& numerũ damnificãtiũ.

Caſus Reſeruati abſque cenſura.

1 ABortum fœtus animati, aut inanimati procurantes, effectu licet non ſecuto, & ad id auxilium, vel conſilium præſtantes.

2 Viros cum conſanguinea, vel affine vſque ad ſecundum gradum, vel cum cognata ſpirituali turpiter coeuntes.

3 Concubinarios, tàm illos, qui domi concubinam detinent, quàm illos, qui alibi, ſed ad eam accedunt, tamquam ad ſuam, & ex conſuetudine, non abſoluãtur, niſi elapſis duobus menſibus, poſtquam verè pœnitentes ſe abſtinuerint, & reſpectiuè è domo eiecerint; & ſi fuerint Eccleſiaſtici in Sacris Cõſtituti, abſolutio illis non impendatur, ſi vltra tres vices cum eadem peccatum carnis commiſerint, etiam, ſi de præcedentibus vicibus confeſſi abſolutionem obtinuiſſent.

4 Parentes, Nutrices, & alios, infantes in lecto cubantes retinentes, & multò magis ſic eos opprimentes.

5 Sodomitas, aut cum Beſtijs ſe carnaliter commiſcentes.

6 Scripturarum falſarios.

7 Arbores fructiferas, vel vites decorticantes.

8 Confeſſarios ſuas complices in peccato carnis abſoluentes, & his data facultate abſoluendi à reſeruatis pro iſto non conceſſa intelligatur.

Quarum Synodalium Conſtitutionum, niſi aliter à Nobis, vel Vicario noſtro generali iuſtis de cauſis reſpectiuè diſpenſationi aſſentitum fuerit, volumus in-

inuiolabiliter obſeruantiam haberi ab omnibus, ad quos ſpectat, & vt quiſque Eccleſiaſticus, & præcisè Beneficiatus, ſiue in Sacris Conſtitutus ſuam agnoſcat obligationem, volumus, vt menſe, poſtquam typis datæ fuerint, apud ſe habeat, frequenter legat, & omnia ad vnguem ſeruet, alias ipſi, & quilibet tranſgreſſorum eorum, etiam per inquiſitionem procedendo, pœnas in ſingulis dictarum Conſtitutionum appoſitas luet. Declaramus quoque, quod vbi expreſſæ non habentur pœnæ, arbitrariæ cenſeantur, & pœcuniariæ locis, operibuſque pijs erunt applicandæ.

Ioannes Baptiſta Epiſcopus Theleſinus.

Completa per ſecretarium decretorum lectione petitum eſt à Synodo, an ea placerent, & fuit à toto Clero reſponſum Placet.

Deinde inſtetit Promothor, vt Clerus totus vocaretur, vt inobedientes pœnas à Sacris Canonibus ſtatutas luerent, & punirentur. Reſp. Illuſtriſſimus Dominus Ita volumus, & iubemus. Et fuit vocatus Clerus per eundem Secretarium è ſuggeſtu prædicto.

Vocato Clero idem Promothor, contumacia abſentium accuſata inſtetit vt inobedientes, atque contumaces eſſe mulctandos, & pœnis à dictis Sac. Can. ſtatutis puniendos.

Reſp. Illuſtriſſimus. Puniendos volumus, ac manda-

Reſp. Illuſtriſſimus. Ita volumus; ac decernimus. Accerſitoque Secretario traditum fuit decretum, vt infra.

Decretum de dimiſſione Synodi.

AD Omnipotentis Dei, qui Pater eſt luminum, & miſericordiarum, Beatiſſimæ ſemper Virginis Mariæ, ac omnium Sanctorum laudem Synodum hanc Diœceſanam dimiſſam volumus, cunctiſque facultatem eſſe ad proprias Eccleſias redeundi, enixè omnes, & ſingulos hortando, ac monendo, vt has Synodales Conſtitutiones amplectendo obſeruent, & obſeruando, maiora in dies ſtudium diſciplinæ ſuſcipiant incrementa; necnon cæteri videant non fruſtra Synodos inſtitui, ſed vt mores reformentur. & abuſus corrigantur.

His denique perſolutis Promothor inſtetit, vt Notarius Synodi de omnibus actionibus, & Conſtitutionibus Synodalibus publicum, ac ſolemne conficeret inſtrumentum. Reſp. Illuſtriſſimus. Ita Decernimus, ac volumus; & continuo Notarius Reſp. Conficiam libentiſſime.

Tunc Illuſtriſſimus Dominus ſurrexit, & hymnum te Deum intonauit, Clerus proſecutus eſt, & finiuit, deinde Illuſtriſſimū preces in Pontificali Romano præſcriptas recitauit, Synodo benedixit, & publicatis de more Indulgentijs, Clerus receſſit in pace.

L A V S D E O.

VAL 1528509

vi è l'impiegatura Regio del Regente
Coro [illegible] in fine, con pezzo che si vede
alla pag: 46. il Titi del Fabricino ad
vicarij causas e quei che muojono ab in-
testato, tanto nel nostro Regno celebrato.

si chiamano i suffraganei co'l loro inter-
vengono ——————————— 36.41.

vi è la frase [illegible] in altri Sinodi
si leggesi di qualche pena pecu-
niaria et poi si dice et aliis
excommunicationis in subsidio pagi-
na 11 = pag: 182

li preparare gli Alberi ornati di
fiori detti vulgo maio ne' giorni
de SS. Filippo e Giacomo Apostoli
ed. come in Salerno i [illegible] 85.

Questa Fam.e di Antonio del Pesso [illegible]
di Gio: Batta del Pesso [illegible]
di Giov.a [illegible] Marchese [illegible]
del Pesso godono in Patria [illegible]
del Coll.o Calenda e sono un Ramo [illegible]
[illegible] del Pesso Principi di [illegible]
si vede essere il Tronco degli altri
Pesso, anche di già di Patria [illegible] godono
al Seggio di [illegible] [illegible]
Istoria Genealogica della Fam.a [illegible]
Pesso scritta dal [illegible] Giacomo [illegible]
e stampata in [illegible] 1721. [illegible]
Napoli la quale Noi l'abbiamo [illegible]
al [illegible] Borromeo [illegible]
[illegible] avere [illegible]
[illegible] matrimonio [illegible]
del Pesso, secondo Marchese [illegible]